DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
SCARLATINA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE SCARLATINA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

AUG. GUL. HARVEY, A. B.

BERMUDENSIS.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCIV.

Viro ſpectatiſſimo,

JOANNI BRICKWOOD,

ARMIGERO,

LONDINENSI;

Ob multa beneficia

In illum collocata;

Et,

Ob amicitiam nunquam

Ex memoria obliterandam,

Qua illum proſecutus eſt,

Haſce ſtudiorum primitias

Sacras vult

AUGUSTUS GULIELMUS HARVEY.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

SCARLATINA.

Auct. Aug. G. HARVEY.

CUM nobiſcum reputamus quam ſaepe morbus, quem hujus penſi Academici argumentum ſelegimus, nunc dierum viget, quamque funeſti ſunt quos edit effectus; vix alia datur affectio, quae majorem medici attentionem aut ſolertiam ſibi vindicat. Opinio olim invaluit, et etiamnum invaleſcit, ſcarlatinam et anginam malignam naturam habere omnino diverſam, et ex principiis omnino diverſis oriri: Poſtea vero

 oſtendere

oſtendere conabimur, hanc opinionem eſſe rejiciendam, atque ſcarlatinam et anginam malignam ex eodem contagio pendere: Ideoque de utraque affectione, quippe quae ſpecie, non genere, diverſae mihi videntur, diſputationem meam inauguralem conſcribere decrevi.

MORBI HISTORIA.

Scarlatinae phaenomena, pro anni tempeſtate, aegri aetate, viribus, ſexu, et etiam habitu corporis, admodum diverſa ſunt; ſigna enim modo adeo gravia exiſtunt, ut aegrotantem brevi deperdant; modo autem adeo lenia ſunt, ut nullum fere periculum indicent. Vix ullus eſt dubitandi locus, quin haec affectio, florente Sydenhamo, multo mitior, quam diebus proxime exactis, extiterit: Ille enim mitiſſimam morbi formam deſcripſit; neque vereſimile eſt, obſervato-

rem

rem tam ſagacem ſaeviora mali ſigna, ſi talia extitiſſent, taciturum fuiſſe. De hac ſcarlatinae varietate, quae apud Cullenum ſcarlatina ſimplex audit, ſic loquitur Sydenham:

" Rigent, horrentque ſub initio, ut in aliis
" febribus, qui hac afficiuntur; neque vehemen-
" ter admodum aegrotant; poſtea cutis univerſa
" maculis parvis rubris interſtinguitur, crebrio-
" ribus certe, et multo latioribus, magiſque ru-
" bentibus, at non perinde uniformibus, ac ſunt
" illae quae morbillos conſtituunt: Ad duos
" treſve dies perſiſtunt hae maculae, et, quibus
" demum evaneſcentibus, decidentique ſubjecta
" cuticula, reſtant ſurfuraceae quaedam ſqua-
" mulae adinſtar farinae, corpori inſperſae,
" quae, ad ſecundam aut tertiam vicem, ſe pro-
" munt, conduntque viciſſim." Altera eſt hujus affectionis varietas, quae a Sauvages *Scarlatina Anginoſa*, a Culleno autem *Scarlatina Cynanchica* appellatur; hiſtoriam ejus propriam jam

recenſere

recenſere audebimus. Scarlatina, *anginoſa*, vel *cynanchica*, quavis anni tempeſtate contingere poteſt; frequentiſſime autem autumnali tempore, vel ſub hyemis initium, magno calore aeſtivo praegreſſo, oriri ſolet.

Haec contagio nullae aetati, ſexui, aut temperamento, parcit; ſaepius autem et vehementius juvenes, quam adultos, muliebrem, quam virilem ſexum, infirmos ac debiles, quam robuſtos, afficit.

Sub primum morbi acceſſum, aeger languore, motus averſatione, et animo demiſſo, afficitur: Simulque moleſtiae ſenſus in faucibus percipitur, glutiendique facultas difficilis evadit; jamque membrana faucium mucoſa, tonſillae et uvula, inflammatione et tumore afficiuntur, moleſtiaeque ſenſus in colli muſculis adeſt. Sub idem tempus pyrexiae ſigna, qualia ſunt rigor, calor, capitis dolor, anxietas circa praecordia, et

nauſea,

nauſea, quae ſaepe ad vomitum uſque augetur, aegrum corripiunt.

Pulſus ſimul fit celer, ſaepiuſque parvus, ac debilis, raro quidem validus ac durus, micat; vigiliaque moleſta aegrotantem infeſtat. Spiritus eſt plerumque difficilis, et aliquando raucifonus.

Proximo die, facies, quae ante primam acceſſionem palluit, rubra apparet: Arteriarum pulſus pleniores ac celeriores fiunt; omnes jam faucium affectiones augentur, tonſillae plane tument; uvula, velum pendulum palati, et lingua, ruborem floridum induunt, et glutiendi difficultas gravior evadit. Cutis calida et ſicca eſt, cibi faſtidium, nauſea, et etiam vomitus augentur, adeo ut fel nonnunquam magna copia rejiciatur.

Pyrexia veſperi acerbatur, mane remiſſura;

die

die enim in veſperam flexo, calor, ſitis, inquietudo, et anxietas intenduntur.

Progrediente morbo, tonſillae, uvula, et velum pendulum palati, afficiuntur cruſtis mucoſis coloris albidi ſerpentibus; hae cruſtae tandem decedunt, et foveolas relinquunt.

His ſignis exiſtentibus, mucus viſcidus fauces et linguam plerumque obducit, ita ut ſpiritus difficilior et raucisonus fiat, et nauſea et interdum vomitus excitentur.

Tertio morbi die, in pleriſque exemplis, faciei rubor, et tumor in cervicem, pectus, et brachia, et brevi poſtea in totum corpus, diffunduntur; ita ut tota ſuperficies inſigniter rubeſcat. Hic color ruberrimus preſſu evaneſcit, digito amoto, brevi rediturus, tunicam conjunctivam, et nares plus minuſve occupat: Nulla autem adeſt intolerantia lucis; oculi tamen feroces, et fulgentes

apparent;

apparent; et quo major faciei rubor, et oculi fulgor intenduntur, eo magis timendum eſt delirium. In quibuſdam autem caſibus, color modo depictus non ſit univerſus, ſed quaſdam tantum partes ſub forma macularum occupat; hae maculae unius alteriuſve diei ſpatio partes, quas primo occupaverant, relinquunt, et alibi corporis, ubi per plures dies, aliquando duas ſeptimanas, perſtant, conſpiciuntur.

In nonnullis exemplis, omnibus morbi ſignis levatis, ita ut aeger ſanitatem recuperaſſe videatur, maculae inopinato iterum prorumpunt, et omnia ſigna recrudeſcunt.

Nonnulla denique ſunt exempla, in quibus exiguae papulae confertae, inſtar racemi, totum fere corpus obſident, et ſe diffundentes coeunt. In his caſibus, color profunde coccineus papularum, quarum apices ſiccae, et albidae ſunt, intervalla occupat.

Tempus,

Tempus, quo eruptio accedit, perſtat, et diſcedit, parum ſibi conſtat: Sed plerumque biduum, aut triduum, vix mutata, durat; poſt hoc color profunde ruber paulatim minuitur, et in fuſcum tandem mutatur; jamque cuticula ſcabra facta forma ſquamarum, ſurfuris inſtar, decidit; et tumore ſimul ſubſidente, et leni ſudore prorumpente, febris ſolvitur, aegerque convaleſcit.

Quod autem eruptionem attinet, obſervandum eſt, pyrexiae ſigna neque ejus acceſſu aut receſſu levari. Morbi finem verſus Anaſarca, quae raro quidem auxilium poſtulat, ſe oſtendit.

Dum morbus hunc curſum in corporis ſuperficie tenet, inflammatio et tumor membranae mucoſae faucium, uvulae, tonſillarum, et linguae, vel ſponte ſolvuntur, vel auxilio adhibito cedunt. In multis quidem exemplis, partium earundem inflammatio, et tumor ad tertium,

quartumve

quartumve diem augentur, dum mucus albidus et admodum viſcidus, magna copia ſecretus, os internum aegro obducit; ſaepe tamen nihil fere negotii faceſſit, niſi in nonnullis exemplis, in quibus glutiendi ſpirandique facultas praeter ſolitum difficilis fiunt, ob pharyngis anguſtiam et dolorem: Tunc enim maſſae firmulae, ſubrubrae, quae juglandes mole adaequant, et fibram ſanguinis particulis quibuſdam rubris commiſtam referunt, excreantur, vel digito ori immiſſo amoventur. Hae moleculae in oeſophago et trachea oriri videntur. In multis quidem caſibus, mucus ille tenax, qui in pleriſque exemplis linguam et fauces internas obducit, in cruſtas collectus, uvulae, tonſillis, et praecipue poſteriori oeſophago, adhaerent: Plerumque autem gargarizatu ſatis facile abluuntur; cutiſque infra has aliquando ſana conſpicitur, aliquando tandem ulcuſcula, ſanatu ſatis facilia, brevique manſura, reperiuntur.

Hic loci obſervandum eſt, has cruſtas haud parum referre illos quae ſcarlatinae malignae propria ſunt. Dum mucus iſte tenax in faucibus ſecernitur, materia haud abſimilis, ſed multo quidem tenuior, minuſque viſcidus, e naribus effunditur, haſque ſuperiuſque labium interdum exedit, et rodit; glandulae ſimul parotides, et quae vulgo ſubmaxillares audiunt, haud raro ſimul inflammatione et tumore afficiuntur: Et haec quidem ſigna modo a morbo fere inchoato ſe oſtendunt, modo autem ad quintum ſextumve diem acceſſum ſuum differunt. Hi glandularum tumores, in non paucis quidem exemplis, non niſi poſt deceſſum eruptionis, ſuperveniunt; tuncque et hanc, et omnia pyrexiae ſigna, renovant.

Hi quidem tumores, licet aegrotantes magnis doloribus afficiant, raro tamen in ſuppurationem deſinunt; ſiquando ſuppuratio fiat, pus blandum gignitur,

gignitur, et tegumentis ruptis, ulcuſcula nullo fere negotio ſaneſcunt.

Tempore, quo ſuperficiei ſymptomata minui incipiant, quod plerumque die ſexto, vel ſeptimo, et aliquando non niſi octavo, vel nono, contingere ſolet, faucium affectio quoque minuitur: Tumor enim inclinat, mucuſque tenuior jam factus, una cum cruſtis mucoſis ſupra memoratis, facile a faucibus ſeparatur: Inflammatio nulla adeſt; fauceſque ulcerationem vel irritationem tantum, quae paucis diebus decedunt, oſtendunt. Arteriarum pulſus jam ad normam naturalem redeunt. Circa idem tempus, alvus haud raro cietur; materiamque mucoſam, ei, quae ex ore et naribus profunditur, haud abſimilem, profundit. Quando morbus autumno contingit tuſſim, alia catarrhi ſigna, et dentium dolores, comites habet: Qui hoc modo afficiuntur, et ſimul glandularum parotidum, et ſub-

maxillarium

maxillarium tumoribus et inflammatione laborant, hi plus inflammationis habere ſolent.

Hujuſmodi ſignis comitantibus, ſcarlatina anginoſa ſaepe per populum epidemice graſſatur; haec morbi forma haud ſaepe lethalis fit: Interdum vero curſum longe alium, qui ſaepe infauſte terminatur, legit. Signa, quae hunc morbi ſtatum ſecernunt, jam enumerare conabimur.

Primo alterove morbi die, color rutilus in cutem, quae inſigniter calida fit, diffunditur: Oculorum acies ferocia ſingulari fulget; adnatae rubor inſignis eſt; delirioque feroce ſuperveniente, aeger ſaepe tertio quartove morbi die e medio tollitur; quod tamen ad octavum diem uſque interdum differtur. In aliis autem exemplis, color ille profundé ruber ſubito diſcedit, huncque maculae amplae ac lividae excipiunt: Pedes, manus, et extrema corporis, frigeſcunt, cutis fit flaccida; fauces ingenti muci viſcidi copia infarciuntur;

ciuntur; ſpiritus fit difficilis; urina et ſtercus, inſcio aegro, elabuntur, qui brevi fato concedit.

Inter hujus morbi ſequelas, praeter anaſarcam, enumerari poſſunt hydrocephalus internus, hydrothorax, et aſcites, quae hydropis varietates in paucis quibuſdam caſibus contingunt. Quando ſcarlatina maxime ingraveſcit, *Angina maligna*, vel *Cynanche maligna*, appellari ſolet. Notae quae hanc morbi varietatem inſigniunt, ſequenti hiſtoria enumerari poſſunt.

Ægrotans, praegreſſis languore, laſſitudine inſigni, et debilitate, per aliquot dies, variis tandem pyrexiae ſignis corripitur; qualia ſunt rigor, vertigo, cordis palpitatio, quibus calor inſignis cito ſuccedit. Rigor et calor aegrum alternis vicibus per aliquot horas afficiunt: Calor autem tandem continuus fit, et interdum, quamvis hoc rarius fiat, haud parum intenditur. Æger brevi jam ingenti capitis dolore, et caloris,

ac

ac moleſtiae potius quam doloris, in faucibus ſenſu infeſtatur: Muſculi colli rigent; et ſumma aegritudo, cum nauſea, vomitu, et alvi proluvio, vires convellit.

Vultus mirum in modum afficitur: Omnia lineamenta contriſtantur, oculi hebeſcunt, et paululum inflammati, ſicuti in morbillis fieri ſolet, aquoſi videntur. Facies aegri plerumque pallet; hoc autem perpetuum non eſt; nam quibuſdam plenioribus rubeſcit, et tumeſcit. Arteriarum pulſus ſunt, plerumque etiam a morbo inchoato, parvi et admodum celeres, et aliquando tremuli et abnormes, interdum duri et exiles, eſſe feruntur, raro autem pleni et molles.

Pyrexia plerumque mane accedit, omniaque ſymptomata veſperi acerbantur, non, niſi mane appetente, remiſſura: Tunc enim aeger plerumque obdormiſcit, ſignaque ſudore prorumpente haud parum mitigantur. Hanc exacerbationem

veſpertinam

veſpertinam morbus per totum ſuum decurſum comitem habet. Lingua in hac ſcarlatinae forma fere humida: Apex ejus eſt mundus, interdum vero radix ſordibus fuſcis vel flavis obducitur: Modo tota lingua, carnis crudae inſtar, rubicunda exiſtit. Anima primum male olet, tandem vero foetorem adeo ingratum diffundit, ut etiam aegro prope intoleranda fiat. Urina primo pallida exiſtit, et cruda, morbi vero progreſſu colorata, quaſi felli admiſta, excernitur; finem verſus, ſi morbus, exitum felicem habiturus ſit, lotium ſedimentum, quod farinam quadantenus refert, deponere fertur. Die tertio, quarto, vel quinto, facies, collum, pectus, manuſque frequenter aliquantum tument, et magno papularum numero obducuntur; papularum intervalla colore ſubrubro tinguntur: papulae autem ſpatio iiſdem circumdato, plane rubriores ſunt: Et ſaepe adeo exiguae ſunt, ut oculi aciem effugiant. Aliquando quidem tam profunde rubent, ut tinctura earundem ad purpuream accedat;

dat: Et maxima ex parte ſudore, praecipue mane appropinquante, madidae videntur. Eruptio ſupra comprehenſa haud ſemper faucium affectionem comitem habet. Vomitus, et alvi proluvies, interdum mitigantur, quando eruptio apparet; et non raro quidem poſt biduum penitus decedunt, quod ſemper boni ominis eſt; etiamſi nullae exinde dejectiones ſint, donec ſanitatis redeuntis ſigna manifeſta fiant. Quod faucium affectum attinet: Tonſillae atque uvula, brevi poſt morbi acceſſionem, tumore aliquatenus affici videntur; et aliquando eaedem, pharynx, membrana faucium mucoſa, genaeque, ad faucium introitum tincturam profunde rubram induunt, et quaſi ſplendeſcunt. Haec tinctura in tonſillis, anguliſque ſupra has, et poſteriore palati margine, maxime inſignis exiſtit. Hic autem color rubicundus et aequalis ſaepe abeſt; et pro eo, amplas maculas, coloris albeſcentis, et tinctura florida circumdatos, conſpicimus. Hae maculae albidae paucis diebus colorem cinereum,

vel

vel fuſcum, modo lividum, et aliquando nigrum, induunt. Cruſtaeque, quae prima fronte tumoris ſuppurati tegumentum inſpicienti videatur, ulcera ejuſdem magnitudinis tegere inveniuntur. Membrana narium ac faucium inflammata ſaniem tenuem ac acrem profundit, qui naribus ac labiis cuticulam exedit; et in infantibus in tubum alimentarium deſcendens diarrhoeam movet, ano cuticulam rodit. Glandulae parotidum, maxillarum, atque tonſillarum, adeo nonnunquam intumeſcunt, ut tracheam comprimendo ſtrangulationem minentur.

Gangraena quae faucibus ſupervenit, haud raro in aſperam arteriam, pulmonem, oeſophagum, et ventriculum, diffunditur.

Aliquando ſanguis, etiam ſub morbi initium, e naribus, ore, et etiam utero, ſponte profunditur, res, morbo provectiore, peſſimi ominis.

In quibuſdam caſibus, nulla ſuper cutem erup-

tio ſe oſtendit, licet aegri contagio objecti fuerint, pluraque pyrexiae ſigna, fauciumque dolores, adſuerint. Nonnulli, etiam morbo haud multum provecto, quarto quintove plerumque die, ſudore leni prorumpente, fauſti exitus ſigna oſtendunt: Arteriae enim firmiores jam magiſque aequales factae, tardius micant: Externi colli tumores paulatim minuuntur; cruſtae, quae faucium ulcera tegunt, facile ſeparantur, ulceraque conſervent. Æger placide dormit, ſpiritus liberior evadit, oculi nitorem priſtinum recuperant, cibi appetentia redit, humorque cutis naturalis, cum excreatione libera comitante, proſperam valetudinem redire indicat. Lugendum eſt autem, hanc ſcarlatinae formam hunc curſum fauſtum raro quidem tenere: Eruptio enim plerumque, ſiqua adſit, vel ſubito repellitur, vel livida aut nigra evadit; vel, in caſibus ubi nulla eruptio, qualem ſupra depiximus, conſpicitur, cutis maculis lividis vel nigris interſtincta obſervatur.

Jamque

Jamque arteriarum pulſus adeo feſtinantur, celereſque fiunt, ut vix numerari aut percipi queant; cutis, praecipue artuum inferiorum, frigeſcit, et ſudore gelido ac frigido madeſcit: Delirium ſupervenit: Facies ſpeciem cadaveroſam induit; vireſque et ſentiendi facultas eo uſque infirmantur, ut aeger brevi miſeria ſuccumbat.

DE CAUSIS REMOTIS.

Hae quidem in *praediſponentes* et occaſionales, ſive excitantes, diſtribui poſſunt; praediſponentes videntur eſſe debilitas, omniaque quae corpus infirmant: Cauſaque occaſionalis eſt contagio peculiaris, cujus origo, natura, et modus operandi, parum intelliguntur. Difficile quidem dictu eſt, quare haec contagio, quae omnem aetatem, ſexum, et temperamentum, debiles et robuſtos, adoritur; modo mitis fiat, modo autem graviter

graviter ſaeviat; nec facilius forſan percipi poteſt, quaenam ſunt illae res externae, aut conditio ipſius corporis, quae mortales hujus contagionis viribus opportuniores reddunt. De his cauſis haec verba habet cel. Clarke: "The "remote and external cauſes, which had the "moſt obvious influence in rendering the epi- "demic malignant, may be reduced to the fol- "lowing, viz. the heat and moiſture of the air, "and the effluvia ariſing from many perſons "crowded in one houſe, and frequently in one "room."

De iiſdem ſic loquitur clar. Fothergill: "With "reſpect to the conſtitution, however, it may "be obſerved, that in ſoft, lax, leucophlegmatic "habits, and languid inactive diſpoſitions, eve- "ry thing elſe being equal, the diſeaſe ſeems "to proceed more ſlowly, to go off more irre- "gularly, and to leave behind it more laſting "effects. In ſome perſons of the temperament

"deſcribed,

"deſcribed, though the fever has grown leſs, "and all the ſymptoms abated in four or five "days, yet the ſloughs in the throat have con- "tinued almoſt a week after; whilſt, in the op- "poſite conſtitution, though the diſeaſe has been "much more acute, yet the ſymptoms have no "ſooner abated, than the ſloughs have caſt off, "and the ulcers healed of their own accord."

Quae autem hi medici clari de his cauſis remotis afferunt, illa parvi quidem, ut opinor, pendenda ſunt. Eadem enim de typhi, pluriumque aliorum morborum cauſis remotis, praedicari poſſunt.

DE DIAGNOSI.

Nulla eſt medicinae pars majoris momenti quam illa, quae de morbis a ſe invicem diſtinguendis agit; plures enim ſunt morbi natura

diverſi, qui facie externa adeo ſe invicem ſimulant, ut difficillime dignoſcantur: Nec deſunt iterum affectiones, quae, etiamſi ex eodem principio oriantur, ſignis tamen adeo inter ſe diſſident, ut pro genere diverſis ſaepe habeantur. Hinc noſologiae difficultas magnumque errandi periculum. Scarlatina inſigne hujus difficultatis exemplum medicis praebet: Plures enim auctores idonei, inter quos ipſe Cullenus eminet, *Scarlatinam anginoſam* a *cynanche maligna* diſtinguere conati, in hunc errorem incidiſſe nobis videntur: Conſtat enim, multa obſervatione auctorum omni fide dignorum affectiones ſupra memoratas ex eodem contagio oriri, ideoque non genere, ſed ſpecie, aut varietate, ſolum diverſas eſſe. Auctores ad quos alluſimus nos certiores faciunt, ſingulos ejuſdem familiae morbi per populum graſſantis contagioni objectos, eodemque correptos, vix unquam iiſdem affici ſignis: Hic enim ſymptomatibus ſcarlatinae anginoſae propriis laborat, ille gravioribus cynanches

ches malignae ſignis afficitur; alius vero vix ulla gutturis affectione tentatur; ſed eruptione eryſipelatoſa ſola tenetur.

De febre ſcarlatina ſic loquitur clar. Clarke ſupra laudatus: "I ſhould not have riſked "this opinion, had I not ſeen the ſcarlet fever "twice epidemic; and in ſome patients as mild "as that deſcribed by Sydenham; and in o- "thers attended with ulcerated ſore throat, "and in others with every circumſtance of the "angina maligna." Opinioni, quam amplexi ſumus, objici poteſt ſcarlatinam non niſi ſemel tantum in vitae decurſu aliquem afficere.

Hoc autem negamus: Nam Profeſſor noſter cel. Gregory, in praelectionibus ſuis de Medicina Practica egregiis, quaedam aegrorum exempla ex propria obſervatione enarrat, quae ſententiam noſtram procul dubio ponunt; docent enim aliquem ſcarlatina plus ſemel laborare

poſſe.

poſſe. Sunt quibus videtur diatheſin phlogiſticam in febre ſcarlatina etiam ab initio uſque invaleſcere, diatheſin vero putridam in angina maligna: Medendique rationem, quae utrique affectione optime convenit, eſſe omnino diverſam. Afferunt denique, diſcrimen periculi in utroque morbo haud levem diſſimilitudinem oſtendere. Hujuſmodi autem argumenta flocci facienda ſunt; afferri enim potuiſſent ad demonſtrandum morbillos vulgares et putridos diverſam habere naturam; variolaſque diſcretas et confluentes diverſis principiis eſſe oriendas, quod nullo modo concedi poteſt. Supereſt ut de diagnoſi ſcarlatinam inter et cynanchen tonſillarem agamus; quae res haud parvi quidem momenti eſt, quia hae affectiones diverſa remedia poſtulant, auxiliaque quae in cynanche tonſillari proſunt, in ſcarlatina plerumque obſunt. Varia autem res conſideranda ſunt ut probe diſtinguantur; cynanche tonſillaris temperamentum plerumque ſanguineum et adultos adoritur;

tur; ſcarlatina infantes, ac debiles, potius quam robuſtos, corripit, et ſaepe epidemice graſſatur; quae res de cynanche tonſillari dici nequit.

Cynanche tonſillaris cauſam excitantem frigus, ſcarlatina contagionem, agnoſcit. In cynanche tonſillari, ſaepe nulla pyrexia obſervatur, quandoque haec accedit, plerumque eſt lenis; pyrexia autem inſignis ſemper, ut opinor, ſcarlatinae acceſſionem antecedit, febriſque haud raro eſt typhodes, aliquando verò ſynochi typum induit.

In cynanche tonſillari, faucium maculae ſunt albidae, papillaſque latice pellucido diſtentas referunt; neque fere morbi progreſſu colorem ſuum mutant, nec ulcera maligna aperiunt; nec difficile gargarizatu ſeparantur. In ſcarlatina autem, cruſtae ſunt coloris albeſcentis vel cinerei; aliquando in pejus ruentes lividae, vel ni-

grae fiunt, ulceraque maligna ſerpentia, et figura abnormi, tegunt.

Denique, tinctura coccinea, quae ſuper cutem effloreſcit, diarrhaea, vomitus, et ingens debilitas, nullam dubitandi cauſam relinquunt.

DE PROGNOSI.

Judicium de morbi eventu erit diverſum pro diverſis formis, quas ſcarlatina induit.

In ſcarlatina ſimplici, vel illa quam Sydenham primo accurate deſcripſit, exitus fauſtus ſemper jure ſperandus eſt. In ſcarlatina *Cynanchica*, vel *Anginoſa*, judicium cautius ferendum eſt. Quamvis enim, in ducentis ſcarlatinae anginoſae exemplis, vix decem maligna evadant, et non plura forſan quam quatuor ex decem aegris moriantur: Ne tamen medicus in famae, vel peri-

tiae

tiae ſuae diſcrimen adducatur, in rem fore credo ſigna enumerare, quae periculum, vel exitum fauſtum, pronunciant.

Periculum indicatur quoties color coccineus maturius, hoc eſt, primo ſecundove morbi die, ſe oſtendit; oculorum rubor et ferocia ſubito intenduntur, et delirium ferox ſupervenit: Tunc enim aegrotans, haud raro tertio quartove morbi die, naturae concedit: Quamvis nonnulli, etiam in hoc morbi ſtatu, morti ad diem octavum uſque reſiſtant. Nec minus timendum eſt mortis periculum, quoties tinctura coccinea, quae ſuper cutem effloreſcit, ſubito repellitur, et in locum ejus maculae lividae aut nigrae ſufficientur. In utraque enim ſtatu, ſpes in anguſto eſt. Quoties autem eruptio coccinea tardius accedit, et minus ſplendeſcit, oculi acies mitior eſt; parum delirii ſubſit; fauciumque affectus die ſexto, vel ſeptimo, aut paulo ſerius, inclinatur, pituita minus viſcida ſit, et, una cum cruſtis mu-

coſis,

coſis, haud difficile ſeparatur, et parum ulcerationis ſe oſtendit; et denique, quoties gutturis affectio parva aut nulla eſt, morbus fere ſemper paucis diebus feliciter terminari ſolet.

In peſſimis autem ſcarlatinae exemplis, in cynanche nimirum *maligna*, in qua plures forſan moriuntur, quam convaleſcunt, judicium noſtrum de morbi eventu ſemper cautiſſime ferendum eſt: Haud pauci enim, ea eſt hujus morbi formae malignitas, intra biduum aut triduum, imo aliquando etiam intra horas viginti quatuor, e vita rapiuntur.

Ut de morbi eventu conjectura cum minori errandi periculo fiat, natura ſcarlatinae per populum graſſantis, aegri aetas, vires, duratio morbi, et ſigna perpendantur oportet.

Gradus enim, aut magnitudo ſignorum, atque debilitatis, quae, diverſis temporibus, et di-

verſis

verſis locis, ſcarlatinam comitantur, inſigniter variant; quae res cognita nos de morbi eventu judicantes haud parum juvabit.

Quo junior eſt aeger, eo magis plerumque periculum: Conſtat enim obſervatione, infantes, pueros, et admodum adoleſcentes, multo ſaepius quam aetate provectiores, huic peſti ſuccumbere, tenerae quidem aetati plures cauſae periculum augent. Haud raro infantibus, qui per aliquot dies vix quidem periculoſe aegrotant, quantum judicari potuit, omnia ſigna derepente ingraveſcunt, vireſque graviter convellendo miſellos brevi, aliquando quidem viginti quatuor horarum ſpatio, rapiunt.

Robuſti haud raro ab hac affectione immunes evadunt; vel, ſi inauſpicato contagio corripiantur, ad effectibus ejus reſiſtendum multo magis valent, quam habitu corporis imbecillo praediti.

Porro,

Porro, de morbi eventu judicaturi, aliquantum forſan juvabimur morbi duratione: Scarlatina enim maligna plerumque diem tertium inter et ſeptimum lethalis fit: Si igitur aeger diei ſeptimo ſupervixerit, exitus fauſtus plerumque ſperandus; huic autem notae haud ſemper fidendum eſt: Multa enim exempla a Profeſſore Gregory, in praelectionibus ſuis de medicinae praxi, enumerantur, in quibus aegrotantes die decimo, vel duodecimo, etiam mortui ſunt.

Sunt denique ſigna quaedam, quae ſemper peſſimi ominis ſunt; horum praecipua videntur profluvia ſanguinis ex variis corporis partibus, veluti naribus, ore, auribus, aliiſque partibus. "Malignam ſignificationem praebet ſignis ſan-"guis ſtillans e naribus aut ore, quidam cum "hoc ſigno nullum vidiſſe liberatum docent; "nos vero unicum ſolum aegrotum, ſumma di-"ligentia, a tanto periculo vindicavimus †."

"Of

† Vid. P. M. De Haeredia.

"Of three whom I attended, and who had "this ſymptom, two recovered; the third died "of a bleeding at the noſe, before any aſſiſtance "could be procured ‡." Inter caetera lugubria ſigna quae morti praecurrunt, ſunt ulcera faucium livida, vel nigra; pulſus parvus, debilis, tremulus, aut abnormis. Animae foetor intolerandus; nauſea frequens, quae ad vomitum ingentem ſaepe intenditur, diarrhoea: Sanies tenuis ac acris, e naribus, ore, et ano profluens, quae partibus quas tranſit cuticulam exedit; foetor corporis cadaveroſus; et denique color coccineus quae ſuper cutem effloreſcit, ſubito repreſſus, vel pallidus evadens.

Signa boni ominis ſunt ulcera gutturis haud admodum profunda, copioſa cutis eruptio, per aliquot dies perſtans, ſudor lenis, oculi nitor, ſomnus placidus ſudorem leviculum excipiens, cibi deſiderium.

De

‡ Fothergill on the ulcerous ſore throat.

De ſignis quae fauſto exitui praecurrunt, haec verba habet cel. Clarke: "When the patient recovers, the ſymptoms proceed in the "following manner: The redneſs of the ſkin, "and the heat abate; the pulſe becomes lower; "the external ſwelling of the neck ſubſides; "the ſloughs caſt off; the ulcerations fill up; "and ſleep and appetite return: But, if the efforeſcence ſuddenly diſappears, or becomes "livid; if the ulcers of the fauces turn black; "the eyes loſe their luſtre, and the ſwelling of "the neck and face increaſe, together with involuntary liquid ſtools, the danger may be "judged to be extreme." Si haec omnia caute perpendamus, haud raro morbi exitum praedicere valebimus.

DE RATIONE MEDENDI.

Quando ſcarlatina ſine ulla facium affectione

ſe oſtendit, medendi ratio eſt admodum ſimplex; et nulla alia plerumque remedia quam regimen antiphlogiſticum neceſſaria fiunt. Medendi methodum, quam illuſtris Sydenham commendat, ſequente oratione complectitur: "In hoc ſatis "habeo ut aeger a carnibus in ſolidum abſtine-"at, et a liquoribus ſpirituoſis quibuſcunque; "tum ut neque foras prodeat, neque ſe perpe-"tim lecto affigat. Cute jam penitus deſqua-"mata, et ceſſantibus ſymptomatis, e re fore "exiſtimo, ut purgetur aeger leni aliquo medi-"camento aetati ac viribus accommodato."

Hic autem loci a nimio medicamentorum catharticorum uſu cavendum exiſtimo; conſtat enim obſervatione, ſcarlatinam etiam ſimplicem, remediis evacuantibus nimis large adhibitis, haud raro ingraveſcere, et ſaepe ſcarlatinae anginoſae. et etiam malignae, ſpeciem induendo, periculo haud cavere.

In pleriſque ordinariis aut vulgaribus ſcarlatinae anginoſae exemplis, eadem medendi ratio plerumque convenit: Cum autem in haec febris eſt plerumque gravior, fauceſque quoque ſemper, et aliquando vehementer afficiantur; medicamenta quaedam neceſſaria fiunt. Cel. Cullenus de huic ſcarlatinae forma medendi ratione haec verba habet.

" When there is a pretty high degree of fe-
" ver, with a full pulſe, and a conſiderable
" ſwelling of the tonſils, bleeding is very pro-
" per, eſpecially in adults; and it has been fre-
" quently practiſed with advantage; but as
" even in the cynanche tonſillaris, much bleed-
" ing is ſeldom neceſſary, ſo in the ſcarlatina,
" when the ſtate of the fever and the appear-
" ance of the fauces render the nature of the
" diſeaſe ambiguous, bleeding may be omitted,
" and, if not altogether avoided, it ſhould, at
" leaſt,

" leaſt, not be large, and ought not to be re-
" peated *."

In hanc autem viri clariſſimi ſententiam vix concedere poſſumus; quamvis enim ſub morbi initium ſigna quaedam ad inflammationem pertinentia morbo inchoato exoriantur, ſanguinis tamen detractio, ob inſignem debilitatem, et ſigna anginae malignae propria quae tali evacuationi frequentiſſime ſuperveniunt, vix unquam adhibenda videtur: Propter eandem rationem medicamenta cathartica *draſtica* caute vitanda ſunt. Porro, in ſcarlatina anginoſa violentia diatheſios phlogiſticae, ſequa adfuerit, brevi quidem minuitur regimine antiphlogiſtico ſtricte adhibito, diluentibus, catharticiſque mitioribus: quo facto, eadem fere medicamenta, quae in ſcarlatina maligna proſunt, anginoſae pariter convenient. Supereſt tantum ut de praecipuis, quae utrique ſcarlatinae gradui accommodantur remediis, breviter,

* Vid. Cullen, Firſt Lines of the Practice of Phyſic.

breviter, ne haec diſputatio ultra ſolitos diſſertationum inauguralium limites producatur, agamus. Horum praecipua videntur medicamenta vomitoria, gargarizantia, epiſpaſtica, roborantia, aſtringentia, et cathartica mitiora. Omnibus medicamentis vomitoriis anteponenda videtur Ipecacuanha, quae jam inde a morbi acceſſione ad tertium quartumve morbi diem doſibus aegrorum aetati ac viribus accommodandis praeſcribi debet: quo quidem maturius cietur vomitio, eo meliores edet effectus. Vomendi actio fauces abluet, ſordeſque, quibus ventriculus gravatur, exonerabit. Medicamenta gargarizantia faucibus per totum morbi curſum adhibenda ſunt, eoque diligentius, quo cruſtarum mucoſarum, mucique quantitas poſtulari videntur. Aliquando gargarizantia emollientia, veluti aquae tepidae vapores inhalanda ſunt; plerumque vero *aſtringentia*, propter ulcera partiumque laxitatem, adhibenda ſunt, qualia ſunt acida, veluti acetum, acidum vitriolicum vel mu-

riaticum,

riaticum, idoneis formulis praeſcripta: Alumen, vinum rubrum, &c. Si ſpiritus difficile trahatur, ob tumorem faucium internarum vel externorum partium meatus aëris per aſperam arteriam coarctantium, epiſpaſtica haud raro multum proſunt. Veſicatoria quidem caute, ne gangraenam inducant, adhibenda ſunt. Oleum vero *Ammoniatum* multo tutius et elegantius, et ſaepe quidem efficax remedium invenitur. Roborantia praecipue ſunt cortex Peruvianus, vinum, et aer recens ac frigidulus. Cortex largis doſibus, et forma pulveris, praeſcribi debet; quoque magis morbus ad formam anginae malignae exquiſitae accedit, eo diligentius adhibendus eſt. In ſcarlatina autem anginoſa mitiori tuto, teſtante Culleno, omitti poteſt. Vinum rubrum anteponendum, et porrigendum pro ut morbi ſigna vinique effectus poſtulare videantur; in ſcarlatina ſimplici et mitioribus ſcarlatinae anginoſae caſibus commode omitti poteſt. In omni autem morbi varietate aeger in conclavi, quo aera recentem

centem ac frigidulum habere poteſt, continui debet.

Si diarrhoea urgeat, aſtringentia utenda ſunt, quorum praecipua ſunt catechu, opium, et medicamenta ex iiſdem parata. Si alvus ſit aſtricta, cathartica mitiſſima, veluti oleum Ricini, forma Enematis, quod caeteris anteponendum eſt, votis reſpondebit.

FINIS.